

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Hannonia comitatus cui adjungitur Namurcensis comitatus

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Hannoniæ Comitatus. Cui adjungitur Namurcensis Comitatus.

*Regio.  
Nomina & us-  
de deducta.*


*Situs.*

*Cæli temperies.  
Soli fertilitas.*

*Imperium majo-  
rum.  
Urbes.*

**H**annonia Nerviorum olim sedes, quorum caput hodie dicitur Tornacum, quod Ptolemæus *Βα-  
γανον* vocat. Sæpius hæc Regio mutavit nomen: initio dicta est *Pannonia*, Iesabæo teste, a Panos  
cultu: postea *Saltus Carbonarius*, inde *Inferior Picardia*: postremum Hannonia, ab Hania Fluvio  
qui mediam regionem secat, vernacule *Hainault* vel *Henegouw*, ab eodem fluvio, Gallis *Hain*,  
sive *Hene* dicto, & antiqua voce Germanica *Gouw*, quæ Regionem vel Pagum significat. Habet a Sepren-  
trione Brabantiam, & Flandriam: ab Austro Campaniam & Picardiam, ab Ortu Namurcenses & Leodi-  
enses, cum dicta Brabantia: ab Occasu Flandriam cum Artesia. Longa est univèrsa Regio viginti millibus:  
Lata *xvi*. Aër temperatus, suavis & serenus: Solum fertile, ac cæterarum Frugum, sed præcipue Frumenti  
præstantissimi ubertas maxima. Abundat Præcis, Pascuis, Pomariis, aliisque ad vitæ usum rebus necessariis.  
Habet & Metalla Ferri optimi, & Plumbi: præterea Lapidicinas variorum Marmorum, atque etiam duri Si-  
licis quem Ovidius Indicem, & *lithanthracon*, *Houilles* vernacule Leodienses vocant. Ignem flammamque  
concipiunt foventque, ut carbones: nec aliis eorum usum quam focis exstruendis, lignis aliquot adjectis.  
Constantur hic quoque Vitæ illæ laminæ pellucidæ, quibus omnem cæli injuriam ex templis & ædibus  
propellimus, hæque præ aliis quæ alibi locorum fiunt, palmam præstantia ferunt. Omne item vitreorum va-  
sorum genus, & supellex hic conficitur. Provincia hæc frequenter Dominos mutavit, ac tandem a stirpe  
Montensium ad Flandriæ Comites, inde ad Batavicam, deinde ad Bavaricam, ex hac in Burgundicam, pos-  
tremo ad Austriacam familiam devoluta est. Urbes in Hannonia fossa valloque munitæ sunt *xxi* v. inter quas  
primariæ *Montes & Valencena*. *Montes*, *Mons* vulgo, urbs ad Trullam fluviolum, navium tamen capacem,  
fita, amplitudine & vallatis mœnibus inclyta est. Fontes in ea vivi permulti: opes amplæ ex mercimoniis,  
opificiis & agricultura. *Valencena* vel *Valencena*, seu, ut quidam volunt, *Valentiniana* (*Valencienno*) ab ejus  
nominis Imperatore, ut autor est Sigebertus Gemblacensis, ad Scaldim fita est, planitie peramœna, cog: tuta ab  
hoste. In ea est Armamentariû ad belli usum instructissimum. Tempa duo, unum Sacrû B. Virgini, structura an-  
tiqua, cujus columnæ, ex Marmore & Lapide Porphyretico: alterum S. Joanni recentius, opus Pepini, Patris Ca-  
roli Magni: Cœnobîa plura: unum præ cæteris nobile Franciscanorum, quo Comites Hannoniæ & Domini Va-  
lencenæ seorsum sepeliuntur. Curia amplissima cum Horologio celeberrimo, opus Guilielmi Boni Comitis  
Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ. Sunt præterea *Condatum* (*Condé*) ad dexterâ Scaldis ripam duobus millia-  
ribus Valencena distans, Opidum elegans: *Landresium* (*Landresy*) ad Sambrâ, celebre obsidione Caroli v. Anni  
m. d. *xliii* qui tamé eo per vim potitus non est: *Avesna* (*Avesnes*) Urbs & Munimentum Gallorum finibus op-  
positum; ad fl. Hepram: *Chimacum* (*Chimay*) urbs ad fluvium *Blancum*, in media Silva, id nuperis bellis  
sæpiuscule incensum, dirutum; tamen ad extremum ita restitutum, ut multo elegantius renatum videri possit.  
Palacium







NAMVRCVM.

340

Palatium habet principale cum horto & Labyrintho singularis artificii : *Halla* Brabantia finibus contermina : *Bouchain* municipium est situm ad ripam Scaldis fl. inter Cameracum & Valencenas , exstructum a Pepino in memoriam nobilis victoriae quam hoc loco retulit ab exercitu Theodorici Gothorum Regis : *Quercetum* (*Quersnoy*) Opidulum est, tertio lapide a Valencena, mercimoniis nobilitatum : *Bellus Mons* (*Beaumont*) Opidulum perelegans , a re nomen habet. *Philippopolis* (*Philippe-Ville*) a Rege Philippo ; *Maria-burgum* a Regina Hungariae Maria nomina habent : loca munitissima ad Gallos reprimendos condita. *Barvicium*, (Gallice *Barvais*) quod nonnulli *Baganum* vel *Bagacum* Ptol. esse arbitrantur : nonnulli illud *Belgium* Caesari in Commentariis dictum volunt : sed refelluntur ab iis , qui in Bellovacis seu Picardia quodam loco firmioribus argumentis eandem collocant. Sunt & *Maubeuge*, *Bins*, *Reux*, *Soigny*, *Braine le Conte*, *Engien*, *Lessine*, *Chorvi At*, *S. Guillein* & *Leuze*. Pagis sunt praeterea CCCL, quorum plerique omnes pulcri, amoeni, opulenti. Regio Lacubus, Stagnis, Fontibus, ac Fluminibus undique irrigua ; fluminibus *Scaldi*, *Sambra*, *Tenera*, *Hania*, & aliis. Silvas habet & Nemora admodum jucunda ; praecipua vero sunt *Mormau*, & *S. Amandi*. Porro Respublica Valencena tanta prudentia constituta, & tam bonis legibus ornata est, ut Noribergenses ad ejus exemplum celeberrimam suam Rempublicam voluerint componere, missis ad hanc rem aliquot viris prudentibus ; quod & Romanos fecisse accepimus in Rep. Atheniensi. Proinde non est mirum si ex tam praecleara Politia orti fuerint Cives per univ. Orbem virtute celebres ; inter quos primas ferunt , Henricus VI Imperator, Dux Lutzenburgicus : Maria Filia unica & Heres Caroli Audacis, Avia Caroli v. Ioannes Froisardus, Historicus Nobilissimus, qui etiam hoc ipsum initio sui operis testatus est.

Lacus.  
Flumina.  
Silvae.

Status Politicus Hannoniae v. constat Membris quae sunt, I Pares XII, videlicet *Longueville*, *Lens*, *Filly*, *Chierev*, *Avesne*, *Chimay*, *Levreux*, *Barbançon*, *Baudour*, *Rebaux*, *Walecourt*. II Praelati Ecclesiastici nimirum Abbas & Comes I, *S. Wauldrut*. Abbates XXVI, *S. Gustin*, *Marchinnes*, *Cambron*, *Hafion*, *Marville*, *Ancin*, *Haultmot*, *Liesly*, *S. Denys*, *Vicogne*, *Feullen*, *Crespin*, *Bonne Esperance*, *S. Jean*, *S. Aldegonde*, *Geilenghien*, *Spinleu*, *Ash*, *Fontenelle*, *Beaumont*, *Denain*, *Quersnoy*, *Watiebraine*, *Lolive*, *Billury*, *Lecture* : & Collegia Canonicorum. III Nobiles, in quo sunt Principatus unus, *Chimay* ; Comitatus X, *Lalun*, *Beaumont*, *Ostervant*, cujus Civitas primaria est *Bouchain*, *Barbançon*, *Avesne*, *Berlaymont*, *Bosju*, *Montigny*, *Reux*, *Terrache*. Baroniae XXI, *Enghien*, *Leuze*, *Havre*, *Ligne*, *Anjoing*, *Vurchin*, *Fontaine*, *Havaide*, *Kimrain*, *Barlaymont*, *Ville*, *Gomegnie*, *S. Aldegonde*, *Senzelle*, *Condes*, *Haurdawn*, *Belleisle*, *Fagneille*, *Bousie*, *Roesin*, *Frasne*, *Harchies*. Marefcallus unus ; Senescallus unus ; Venator Magnus unus ; Camerarius perpetuus unus. IV Officia Ordinaria ( Castellaniae opinor ) *Valenchene* etc. V Civitatum Communitas.

Namurci Comitatus.  
Caeli temperies.

Restat *NAMURCI COMITATUS*. Hic situs est inter Brabantiam, Hannoniam & Leodiensem Diocesim : exiguo territorio & montoso, sed per amoenum. Aërem habet salubrem & temperatum. Solum ferax Rerum quibus ad sustentationem sui vita humana indiget. Habet & Ferri Plumbique Fodinas, & Laomias, in quibus varii generis saxa excinduntur, atque imprimis Marmora subnigra, & quae Iaspidem referunt. Neque



Neque ita pridem cœperunt effodi saxa illa ad ignem idonea (*Lithanthracas* nominare possumus) de quibus *Soli fertilis.*  
 diximus in præcedenti Descriptione. Porro ditio ista omnis initio Dominum habuit titulo Marchionis: po- *Imperium majo-*  
 stea Dominum sæpius mutavit. Marchio fuit *Philippus*, Frater Balduini Comitis Flandriæ Anno MCC. CO- *rum.*  
 mes fuit *Theodorus*: cujus obitu tota ditio celsit *Philippo Bono* Burgundiæ Duci, quemadmodum in Germa- *Urbes.*  
 niæ Inferioris descriptione a nobis explicatum est. Vrbes in hoc Comitatu muro cinctæ sunt quatuor, *Namurcum*, *Bovina*, *Carlemontium* & *Valencourtium*. Pagi CXXCII. *Namurcum* (*Namur*) urbs est primaria,  
 cujus nomen unde ductum sit, ignoratur: alii putant a *Nano* Deo Gentili, qui quum antea oracula fundere  
 solitus esset, sub adventum Christi Servatoris obmutuit. Ergo a Nano muto *Namurcum*: alii a Novo Muro  
 illic Romanorum opera exstructo. Vrbs sita est inter duos Montes, in læva Mosæ ripa, qua *Sambram* reci-  
 pit. Distat 11X mill. Lovanio, x Leodio & totidem Bruxellis. Dives est, & splendida publicis privatisque  
 aedificiis, Arce etiam instructissima bene munita. Quarto milliari a Namurco sunt *Bovina* (*Bouvenes*) opidum  
 exiguum, quod bellorum injuriis jam aliquoties vastatum, postremum vero ab Henrico 11 Galliæ Rege  
 Anno C10 10 LIV magna parte destructum est. Id ex eo tempore Civium industria restitui & restaurari cœpit.  
*Carlemontium* (*Charlemont*) exstructum est a Carolo v Anno C10 10 LV adversus Gallos, qui tunc Marien-  
 burgo potiebantur. *Valencourtium* opidum minime aspernandum Namurco VII milliari intervallo di-  
 stans. Flumina habet hæc regio pisciola: inter quæ primas obtinent *Masa* & *Sambra*: Fontes vivos & largos. *Flumina.*  
 Silvas non tantum ad delectationem, verum etiam ad venationem aptissimas, Feris refertissimas. Multa sunt *Silva.*  
 in hoc Comitatu Tempia, & Cœnobîa splendida Namurcensium Comitum sumtibus olim constructa, &  
 opimis honorata redditibus. Tertio Milliari a Namurco dives est pagus *Audemas*, in quo vetustissimum Mo-  
 nasterium Canoniarum nobilium Fœminarum exstructum institutumque a Begga filia Pepini veteris, a qua  
 primum creduntur dictæ Vestales *Baggine*. Status Politicus Comitatus Namurcensis tribus constat Membris,  
 quæ sunt Ecclesiasticus Ordo, Nobilitas, Civitates præcipuæ. In Ecclesiastico Ordine sunt Abbates *Flores*,  
*Granpré*, *Anden*, *Bonaf*, *Wassore*, *Hastieis*. Nobilitas *Dome* Vicecomitatus etc. Civitates præcipuæ *Namur*, *Bovina*,  
*Charlemont*, *Valencourt* sive *Walencourt*. In vrbe Namurcensi sedes est Consilii Regii, a quo appellatio est ad Cu-  
 riam Mechliniensem. Est & Sedes Episcopi, cujus Templum Cathedrale sacrum est S. Albino. Cives armis ad-  
 sucti sunt, Gallicus iis sermo, sed corruptus. Mercatores pauci & opifices: Nobilium magna turba: sed qui nothi  
 sint Illustrium Principum, velè nothis oriundi.

V v iij

Restant